



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XLV [i. e. XXXVI]. Qvomodo Senio Et laboribus exhaustus diem obierit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QUOMODO SENIO ET
laboribus exhaustus diem
obierit.

XLV.

DOSTERO veto tempore tam morbo quam senio exhaustis viribus corporis indies dissolui cepit, & labore infirmitatis continue ad laborum finem tendere. Itaque cum se acrius premente languore in proximo ad dominum speraret migraturum, illud amicis sibi semper ac solitum opus elemosynarum tanto ardentius exercuit, quanto illi constabat, quod diu hoc exercere non daretur. Omnia igitur loca, omnes domus, & curtes circa positae, imo tota ciuitas, eo volente atque iubente, pauperibus & peregrinis repleta fuit, aderant viduarum & orphanorum longa examina clericorum, & monachorum intrantium & exeuntium multitudines negotio beato pij mercatoris iam adire parantis ad extremas nundinas. sacras dixerim; in quibus terrenis coelestia, temporalibus aeterna bona comparabat. Feruebant sane circa illius lectum caeli terraeque sancta negotia & Martha semper sollicita, & turbata circa multa, & innumerablem humanitatis officio nec languida iam mortisque vicina cessauit ab operibus suis plurimis propter vnum, quod sciebat esse necessarium. Cum Abbatibus enim & positis suis de omnibus ordinauit, Ecclesias & cenobia sua & diuersoria intima retractatione digessit, singulisque prout oportuum videbatur, sumptus & necessaria suppluit. Cerneret iam oleam vberem & frugiferam, solita vbertate vberiore, & copiosissimis fructibus onustam, totam se carpentium manibus inclinare. Et reuera mirum valde est, quod hic inexhausta benignitatis archa quae tot ante die

diebus ad erogandum iugiter patuit, adhuc tantillo tempore tantum quod erogaret habere potuerit. O Martha Martha deuota domini, quando vel quomodo sentire egestatem? Quis enim donantium donanti omnia egens vnquam factus est? Interea vero languor magis magisque spiritum luctatē vrgebat, riteque dispositis omnibus, quęcunq; post se victuris præstare potuit, supplici & pura confessione præmissa, olea illa & placida & sacra vnctione facri olei delibuta, propiciabile viaticū corpus domini percipit, & circumstante illo suo semper familiari collegio virorum, religiosanctorum tam monachorum quam clericorum, psalmis & orationibus agonem eius deuote Deo commendantium, plenam operibus bonis & eleemosynis, plenam honoris & gratiæ animam exaltauit in cælum. Quid multa? Flebat ciuitas vniuersa, iuuenes, & virgines, senes cum junioribus: flebat omnis ordo, flebat omnis religio, diuites, & pauperes, nobiles, & mediocres cum plebe rusticana omnes patrem ademptum lugebant amariorum quanto ab omnibus illis carius ipse amabatur. Monasteria & Ecclesiæ longe vel prope positi; Magnates & capitanei prouinciæ, fama mortis eius exciti ex omni parte cõstuebant: se ingratos atq; inertes arbitrati, si eius quem tantopere dilexerant, funeri non adessent, vel si debitos honores tantis exequijs non præstarent,

DE ADVENTV EPISCOPI.



UPERVENIT quoque sacre semper memoriæ
IMBRICO * Orbipolensis Episcopus, vir clarus
& prudens tam eloquij venustate vel ingenio,
quam etiam sapientia præpollens. Superuenit,
inquam, amicus & amici exequias inuisens & dolenti &
ardent-

XLVI.

Herbipolensis

0003

ardent-